



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Castellum nouum Dalmatiæ, ab Aeneobarbo obsessum, captum, ac
direptum. Omnia à Christophoro Richerio Gallo, Thorigneo Senone,
Christianiss. Gallorum Regis rancisci cubiculario, in Commentarios ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)



Oleimanus Turca cum grauius & iniquo animo ferret Castellum nouum, quod oppidum Dalmatiae est, sibi nuper à Carolo Austriaco Romanorum Imperatore ereptum fuisse, secumque cogitaret quanti sua interesset id genus hostem in suum imperium pedem intrusisse, atque altius figere conari: quanto porro usui honorisque foret, si eiectione suis finibus hoste, locum ipse recepisset: id unum in primis instituerat, omnes sumptus, vires, industriam, in eiusmodi expeditione collocare. Quamobrem cum iam amplius eum animi cruciatum ferre non posset, conuocatis ad se suis Viris, id illis negotium comunicat. Quibus cum explicasset dolorem, quem conceperat ualde magnum ex illata sibi iniuria tum, cum Austrius eum locum occupasset, docuissetque quantum rerum suarum detrimentum periculumque sustineret amisso Castellonouo, cum in eius fundamenta prima tantum pecuniarum impendisset, in spem statuendi illic firmissimi propugnaculi ad prohibendos quorumlibet impetus, & diuturnum imperium longa pace retinendum: quem tamen locum, se de sua spe defecto, Carolus hostis possideret, & eum quotidie ualido collocato praesidio, aduersum se re frumentaria generisque omnis comestum muniret: illi tandem eius partim uoluntate, partim rationibus adducti, mature habendos esse delectus, & manus terra marique exercitatisimas eum conducendas esse censuerunt. Fuit in his praefectus eius maris quod obnoxium Solei mano est, Aeneobarbus. Eum ipse collaudatis omnium sententijs, qui classem copiasque deduceret, legatum constituit. qui quidem pro suo in Soleimanum officio rebus ad perfectionem necessarijs qua potuit diligentia comparatis, nactus idoneam ad nauigandum tempestatem, soluit. Caeterum secundis uentis in altum prouectus adeo maturat, ut breui admodum intermisso tempore, agmen eius primum, quod nauium erat circiter septem & uiginti, quibus Cifutem hominem re nauali clarissimum praefecerat, ad tertium Idus Quintileis Anni à CHRISTO nato millesimi quingentesimi tricesimi noni Castellonouo propinquaret. Iactis anchoris dum Aeneobarbum minoribus itineribus subsequente opperirentur, post 50
stridie eius diei magna Turcarum multitudo, nihil suspicata periculi, scaphis aequandae causa continentem petijt, & inermis ad fontem, qui ab oppido mille passus aberat, constitit. Ea re per exploratores cognita, quodque Turcae ad fontem securus sese indiligentiusque haberent, oppidani iam ante futurae oppugnationis admoniti, totis copijs oppido erumpunt, hostesque ex improviso tanta ferocitate adoriuntur, ut caeteris in fugam datis, circiter quadringentos conciderent. Fuit haec iniuria durae oppugnationis initium. Quandoquidem nuncio ad Aeneobarbum celocibus allato, tam noua repente animum eius perturbatio, uindictaeque cupiditas inuasit, ut eodem ipse quatrinduo quo Cifutes eam cladem acceperat, cum centum & nonaginta nauium classe perueniret, & postero die ad obsidionem toto 40
agmine prouolaret. Cuius aduentu oppidani proclamare intus omnes, concrepare armis, alij ad portas sese opponere, alij propugnacula uallumque conscendere, magna multitudo moenia complere, ac certis custodijs aditus obtinere: omnes sic animo parati esse, ut hostem perumpere conantem, ex superiore loco facile se oppressuros non dubitarent. Contra Aeneobarbus ne manipularum quidem exponerebat, sed instructa tantummodo classe, obnitentibus omni ex parte tormentis praeliabatur. Illi ediuerso periculum sub murum consistendo effugere, machinas pariter in hostem alacriter torquere, neque sibi ullum putare ab Aeneobarbo periculum impendere, si nauali solum exercitu oppidum inuaderet. Sed & se ibidem quoque eodem serè tempore statuerunt Ballibeches, Ollambas, & Mustaphas

Mustaphas Sangiachi, quos Byzantio discedēs Aeneobarbus, terrestribus cō-
 pijs eō per Bossynam deducendis praeferat, & singulos quīdenis Ianizaro-
 rum millibus duces assignarat. Ad hunc praeterea numerū mandato eius acce-
 ferunt Molarchæ & Martelore ad triginta quinque millia, quos suis ipse nauibus
 ad obsidionem deportarat. Quæ omnis aggregata multitudo cum fuisset, mil-
 lium erat armatorum circiter octoginta. Caltris igitur ad urbis murum positīs,
 circumiectoq; totis mœnibus exercitu, Turcæ indignantes quod tantæ multi-
 tudinis conspectū rari hostes ferre possent, signū prælii quotidie exposcebant.
 Aeneobarbus autē dandum nō putabat, quia magno detrimento, multorumq;
 10 uirorum fortium morte necesse esset constare hanc uictoriā. Sed utilius esse ar-
 bitratus uel dolo oppidū in potestātē redigere, uel necessitate aut pollicitis ad
 deditiōem cogere, suos rationibus consolabatur, atq; interim modū fraudis
 lociq; intercipiendī excogitabat. Cū uerò nihil ea uia proficeret, facialem cum
 his mandatis paucissimis ad Franciscū Sarmientanū Caroli Imperatoris legatū
 mittit: Si oppidum in ditionem eius dedat, fore ut ipse numeratis in singula ca-
 pita denis aureis, oppidanos nullo uitæ fortunarumq; detrimento, oppido exi-
 re permittat: sin, quod fore nō arbitratur, oppidi expugnationē, exploratamq;
 suam uictoriā expectent, nulli se omnino neq; sexui neq; ætati ueniā daturum.
 Sarmientanus ad hæc postulata, pauca respōdit, sibi suisq; auro nihil opus esse:
 20 quo si egeant, opulenti ac liberalis esse Imperatoris stipendiarios, qui omnem
 euestigio nummorū penuriā suā munificentia subleuet. Fide porrò obstrictum
 se esse, nemini unquam eius loci prælidijq; deditiōem facturū, nisi Carolo Im-
 peratori, qui illo, iure belli, potitur. Qui quidem si oppidū Soleimano una ma-
 nu dedendum mandet, se quoq; ambabus id ipsum protinus dediturū, omnem
 alio qui uim iniuriāq; pro defensione eius fortissimē laturum. Audacius idē
 respondit, quod secum fortunam belli quamlibet tentaturos sciebat Lazarum
 Albanum, eum qui expedito equitatu præerat, Ioannem Boschaynum, Mac-
 chinum Monghianum, Roscium, Sanzam Frianum, Oliuerium, Burgundio-
 nem, Mandozam, Lodoicum Sandalium, Arianum, & Mascheffam, Germa-
 nos atq; Hispanos homines strenuos, magnaq; uirtute: quos Carolus probatis
 30 eorum animis peritiāq; militari, singulos singulis ueteranorum militum cohor-
 tibus præferat. Neque dubitabat quin facili ipsi cum suis Hispanis ac Germa-
 nis, qui millia erant plus minus quatuor armata, hostes prohibere, & oppidum
 ab expugnatione uindicare possent. tantum spei ac fiducia in uirtute præfecto-
 rum studijsq; militum collocarat. Talibus responsis accensus Aeneobarbus, re-
 pentē ipse ex nauī egreditur in continentem, atq; extemplo mœnia circūire, &
 locum turribus ac castellis cōstituendis, in quibus tormenta collocaret. & unde
 expugnationem moliretur, oppidanos ue ad deditiōem compelleret, delige-
 re cepit. Sed non alienum fuerit in præsentia situm faciemq; oppidi describere.
 40 Ipsum, quantum quantū est, in Catari linus fauces incumbit. Abest ab Epidau-
 ro, quod uulgò Ragusium dicunt, passuum millia circiter quinque & uiginti, toti-
 demq; penē à Cataro. Facie uerò cū oblonga sit, ipso mari in lumbos eius primū
 aliquatenus influente, tum deinde in sese quasi extremorū alteri cedere uelit re-
 flexo, magna ex parte circūducitur. Quod de toto superest, ad uarios quo quo-
 uersum colles pertinet, & muro iustæ altitudinis, ac propugnaculo in extremi
 utriusq; fronte sito præmunitur. Aeneobarbus ijs diligenter confectis rebus,
 classe machinas murales octoginta deportari in aridū iubet. Quas omnes hūc
 in modū aduersus murū instruit: A diua Venerāda, longē à cōtinenti passibus
 plus minus quingentis triginta duæ obnītebātur. quarū binæ, quas Basilicas ap-
 pellāt, octonis rotis fultæ obsidebāt. A propugnaculo superiore aliæ ab his uiginti
 urgebant

urgebant, à salinis triginta alia. Instructa id genus obsidione, ab omnibus oppi-
 di partibus oppugnationem aggreditur. Ad quam ipse proposito vexillo fœli-
 cius auspiciandâ ita se comparabat: de multa adhuc nocte quotidie ex nauibus
 egressus in castra procedebat: & nunc munitiones adire, tunc tormentis singu-
 lis aditare, modò in equitatu esse, modò pedestres copias inuisere, singulos ap-
 pellare ac cohortari, omnibus animû pugnandi facere, nihil quod ad fortissimi
 Imperatoris munus pertineret omittre: neque prius illinc abire, quàm pro se
 quenz in conspectu suo egregiam aliquâ operam nauasse uidisset. Quod San-
 giachi cum animaduerneret, haud ignari periculorû quæ ipse quotidie subibat,
 multis cum eo precibus agebant, ne postea tantâ sui copiâ hostibus faceret. ora-
 re ut se id muneris obire permitteret, meminissetq; iacturâ quâ in eius cæde So-
 leimanus caperet: quandoquidê uno ipso sublato, nullis rationibus teneri exer-
 citus posset, quin se præcept in fugam daret. Cæterum non esse quòd prodeat:
 oppidû esse expugnatu facile, defensores intus paucos, oppugnatores foris in-
 numeros, esse deniq; in manibus uictoriam. Ad quam orationem, Si, aiebat, eo
 sum fato, ut in ista mihi obsidione cadendû sit, num curâ esse debet, modò id, an
 serò contingat: gladio an tormento, humi an medio in mari intereâ? Quendam
 porrò nomine ludæû castello quod ab occasu eminebat præferebat, eximia uir-
 tutis prudentiaq; hominê, qui ne machinis quidê ignem admouere, aut etiam
 uilissimi cuiusq; calonis partes subire uerebatur. Dum ita ex omnibus oppidi
 partibus Turcæ instant, oppidani nihilominus forti paratoq; animo resistunt.
 Et nunc lapides ac ligna de muro in ascendentes deieciabant, nunc faces pice ac
 sulphure illitas, ardentis, in hostiû manum, qua cõfertissimos uidebant, eminus
 iaculabantur: eodemq; tempore ex multis partibus eruptiones facere, atq; mi-
 lites in aggere apparando, stabiliendis ue turribus, aut in muro superando sub-
 leuandisq; commilitonibus occupatos adoriri. Sed nimis eorum uirtuti atque
 animis aduersabatur militum numerus, qui cum pauci semper exstitissent, etiam
 quotidie partim quòd eiusmodi eruptionibus multi interi-
 erant partim quòd tor-
 mentorum crebris ictibus non pauci exanimarentur, raresebant. In his difficul-
 tatibus ecce ad nonû Cal. Sextileis onerariæ naues duæ idonea tempestate de-
 lata, Castellonouo appropinquât. Eas oppidani, quòd Aquilam Romani Im-
 peratoris in signe præferrent, sibi à Carolo in subsidiû missas, hominumq; intus
 aliquot esse millia, quæ in oppidum summitterentur arbitrati, crebro ad signifi-
 candam lætitiâ machinarum strepitu gestire incipiunt. Verum hæ Epidauri-
 cæ naues erant, quæ Turcis com meatum, materiamq; tabulatis munitiõnû con-
 ficiendis necessariâ deuehebant. Calendarû Sextilium dies octauus diuo Iaco-
 bo sacer, multo crudelioris quàm antè terra mariq; oppugnationis author fuit.
 Ab eo siquidê die ad octauû Idus Sextileis machinæ murum ferire non destite-
 runt. Atq; eo quidem interuallo nouem missilium pilarum millia, & octingen-
 tas ab his expressas fuisse prædicant. Qua quidem ferocitate ac pertinaciâ como-
 tus Sarmientatus, suorû etiam cû innumeris pugnantium adductus paucitate,
 necnò cæde multorû atq; urbis dilapidatione, cum porrò sibi ac focijs nihil præ-
 ter mortem aut deditiõnem, quam & seram & iniquam fore intelligebat, reli-
 ctam esse intueretur, indicio extemporalî concilio, singulos cohortari cepit, ac
 suadere ut primûm cû Deo Opt. Max. in gratiâ redeant: deinde CHRISTI
 in crucem acti prolato signo totum oppidum lustrent: præterea ut implorato
 eius auxilio, signoq; ipsius hostibus proposito, murum confidenter tueantur.
 Huic orationi cû probè obtemperatû esse iudicassent, certatim omnes pro aris
 & focis eo die mortè appetituri, portis erumpunt, deq; improuiso hostes adoriuntur,
 ubi exiguo quidem tempore, sed tanta animorû alacritate pugnatum est, ut
 ipsi

ipsi prima eruptione pulsus perturbatisq; hostibus: paulatim uerò, ut quisq; com-
 modè sibi præscripserat, ad signa se atq; ordines accommodatibus, penèq; iam
 redintegratis, caelis tamen illorū circiter quatuor millib. recipere sese, oppidoq;
 claudere potuerint. Iduū sexto, crescētibus semper Turcarū conatibus, uiribus
 oppidanorū sensim cadentibus, manipulares duo salutē defectione quaesituri,
 clam ad Aeneobarbū transfugiūt. Ex ijs quo in statu oppidi res essent, qui no-
 uus metus, quæ omnium rerū desperatio singulos inualisset, cognoscit. Præterea
 armatos intus paucissimos esse, cæteros aut superiore pugna muralibus' ue pi-
 lis, ut ex omnibus oppidi partibus assidue torquebātur, traiectos languere, aut
 10 omnino ijsdem casibus exanimatos concidisse. Castellī porrò superioris præsi-
 diū initio septingētorū decē propugnatorū fuisse, de eo numero triginta solum
 periculo superesse. His rebus cognitīs, Aeneobarbus summo studio suorū op-
 pugnationē de integro molitur. ea cepit multa iam nocte sub secundā uigiliā,
 atq; in crastinū usq; ad horā diei, qui quartus erat Iduū Sextilium, quartā tradu-
 cta est. Eo ipso tēpore ad murū portasq; oppidi tanta utrinq; pertinacia pugna-
 tum est, ut oppidani plurimū hostiū eorū qui primū murū ascenderāt circūuen-
 tis, interfectis, de muro præcipitatis, sed occisorū in locū nouis semper succedē-
 tibus, machinarū terra mariq; cōtinuo in se impetu perterriti, & iniqua numero
 contentione, ac spacio pugnae defatigati, ad ultimū, cum iam recentis atq; inte-
 20 gros nō sustinerent, irruptionē loco moti hostibus permitterent. Quos cū toto
 undiq; muro circūfundi uiderent, ex uallo uniuersi desiliunt, atq; in forū pertur-
 bati coeunt. Quo in loco animus quidē erat cuneatim cōsistere, ut se cōtraueni-
 entibus acie instructa opponerēt: sed dum miseri in eam rem incūbunt, Turcæ
 eos ab omni latere circunuenire, aggredi, ferire. His illi paulatim cedendo re-
 sistere, hos telis remorari, hos ut cuiq; ferendi potestas fiebat, referire. Postre-
 mō tantam utriq; alteris cladem inferre, ut nihil in ijs non cruentum difflueret.
 Sed cum Turcæ omni ex parte prouolantes raras hostium reliquias oppressum
 irrent, Sarmientanus ueritus ne omnino fugere nō liceret, denuo receptū canit,
 ac deorsum in propugnaculū inferius decurrendū esse significat. Quò, cū ipse
 30 unā cum Lazaro & Malcheffa, & Ioan. Boschayno, paucisq; superstibus præfe-
 ctis, ac manipularibus cōtinenti impetu decurreret: pars acceptis antea uulne-
 ribus segnior, pars metu nimio quò eundū esset nescia, hostilibus gladijs exci-
 pitur. Ad extremum, ex omni eo numero qui oppugnationis initio fuit, circiter
 quatuor millia, solus ipse Sarmientanus cum ijs quos dixi, præfectis & oppida-
 nis plus minus trecentis, propugnaculū incolumis occupauit. Victores interea
 prædæ studere, quarūlibet ædium fores frangere, penetralia quæq; subire, nihil
 non intus euoluere: omnē hominē, siquē latentē reperissent, in seruitutē abstra-
 here: sacris minus quàm prophanis abstinere: nummos, stragula, signa, supelle-
 ctilem, munitiones, omnia quæ asportari possent diripere, cætera incendio con-
 40 sumere. Sarmientanus capto direptoq; oppido, cū propter machinarū rerumq;
 omnium penuriā, diutius eū se locū tueri non posse cerneret, & Ianizaros instare,
 ac miseros ad cædē cruciatuq; poscere exaudiret, desperatis rebus Aeneobarbo,
 apud quē aliquā esse misericordiā credebat, deditiōnē facit. Ianizari nihilo-
 minus & Molarche cæde suorū præterita, difficultateq; expugnationis incensū,
 cum ne mulieribus quidē, atq; infantibus, & ætate cōfectis irrupentes peperc-
 cissent, haud adhuc manibus suorū satis parentatū esse arbitrati, nisi omneis ho-
 stiū copias extinxissent, dedititios quoq; ad libidinē suā sibi tradi oportere fre-
 mebant. Verūm Aeneobarbus cōcedendū nō putat. Sed quòd remigū summa
 inopia laboraret, uulgus dedititiorū in triemes fame uinculisq; excruciantum
 dedit Sarmientanū uerò legatū, & Lazarum expeditorū præfectū, cum paucis
 alijs uinctos ad Soleimanum, ut suæ uirtutis atq; industrię specimē, amandat,

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Ben

Jan

1 1 1 1